Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3023
Quelle:
Copyright:

Delictis adnexa. *Benedictio ignis et ferri siue aquae. Benedictio ignis novi.* Officium *In Die Resurrectionis Domini. Letania Metrica*, quae incipit:

Ardua spes mundi solidator et inclite caeli &c.

et in multis variat ab Exemplo *Cod.* DCCXCIII. producto. Ad Ecclesiam *Moguntinam* pertinere argumento est Distichon:

Care deo martyr patriæ decus huius herile
Sancte albane tuis esto fauens famulis.

Aliud *Litaniarum* Specimen pariter *Cod.* mox *cit.* relatum:

Summus et omnipotens genitor qui cuncta creasti &c.

Item Metrica Laetania, cujus initium:

Salue festa dies toto uenerabilis aeuo &c.

et autor *Ven. Fortunatus.* Alia *Laetania*, quae incipit:

Rex saluator alme suscipe ararum munuscula pia &c.

In hac oratur: *Vt ottonem regem et eius exercitum dominus conseruet.* Unde Codicis aetas Seculo X. adfigitur, quemcunque trium *Ottonum* adoptes. Idem repetitur in ultima quatuor *Litaniarum*, quae praecedentem excipiunt, quarumque duae *Gallicae* inscriptae sunt. Has porro *fol.* 117. *Canon Missae* sequitur, in quo etiam SS. *Albani. Sergii et Bachi. Dionisii et Bonifatii. Martini. Benedicti* Nomina, sed linea circumducta leguntur. Hoc finito: *Incipiunt Misse In Diebus Dominicorum* initio capto a *Dominica I. post Natale Domini.* Numerantur vero Dominicae *post Natale Domini*, *post Theophaniam*, *post Oct. Paschae*, *post Ascensa Domini*, *post Pentecosten*, *post Nat. Apostolorum*, *post Nat. S. Laurentii*, *post Sancti Angeli.* Succedunt Missae de *Trinitate*, de *Cruce*, Communes *Apostolorum*, *Martyrum*, *Confessorum*, *Virginum*, *III. Dominicarum ante Natale Domini*, *Sabbati XII. Lectionum*, de *omnibus Sanctis*, in *Natali Sanctarum Virginum*, in *Dedicatione Aecclesiae*, *Missa Generalis vel Omnimoda* et *Communis*, *pro Pace*, variaeque Aliae pro diversis Necessitatibus. *Fol.* 185. sequitur *Agenda Mortuorum*, cujus ultimum folium deperiit, Antipho-